

voluntati in omnibus parere, rationisque obtemperare legibus, decreuit, necesse quoque est, vt accurate quid ratio agere iubeat, aut vetet, edoceatur. Hoc vero *iurisprudentia universalis* praestat.

§. XIIIX.

Politica & Oeconomica ab *Ethica* eadem ratione vt *pars a parte* differunt. Vtraque enim circa actiones vtilis occupatur: & illa quidem ciuitatis & hominum in ciuitate viuentium, haec autem familiae felicitatem respicit. Sed tamen *Ethicae* vtraque inferuit, incommoda multa, quae hominem sapientem quoque premunt, ab eodem remouendo.

§. XIX.

Ceterum inter *Ethicam*, quin totam philosophiam practicam, & *Theologiam Moralem* ingens intercedit discrimen. Non enim minus errant, qui hasce scientias inter se miscent, quam qui eas ita sibi oppositas censent, vt conciliari nequeant.

§. XX.

Eas sibi inuicem non aduersari inde probo, quod vtraque Deum habeat auctorem. Qui ergo hic pugnam quandam comminiscitur, is ipsum Deum non sine insigni impietate secum committit. Praeclare Augustinus: *absit, vt hoc in nobis Deus oderit, in quo reliquis animantibus excellentiores creauit. Epist. CCXXVI. quae est ad Consentium.*

A 5

§. XXI.